




25-38)


NL 1₍₃₎ 8°

Kom. 2018V









25

OBSIDIO ZAMOSCANNA,

Quam

Perduelles Cofachi iunctis viri-
bus Tartarorum, grassante & ad affligendum
Regnum conspirante audaciâ, fatali Poloniæ
tempore sub INTERREGNUM Anno Dni. 1648.
fecerunt:

19.

A

M. IOANNE BYTOMSKI
*Phil: & I. V. D. Eloquentia Professore &
Canonico Zamoscensi, tanta calamitatis
consorte & Spectatore*

EXHIBITA.



ZAMOSCI.

Anno Dñi, M. DC. XXXIX. Mense Ianuario.

49



Quando obsederis Ciuitatem
multo tempore, & munitionibus
circumdederis vt expugnes eam,
non succides arbores, de quibus
vesci potest, nec securib⁹ per cir-
cuitum debes vastare regionem:
quoniã lignum est, & non homo,
nec potest bellantium contra te
augere numerum. *Deuteron. 20.*

E. XIII ngo b. radli

g.



OBSIDIO ZAMOSCANA.

PRiuatis iniuriis ob lucra pos-
fessorum circa Borysthenem & odii erga
Nomen Polonorum, toties iam per arma eademq;
olim ebuli entibus, excitatus; in visceribus perfido-
rum, atq; ad seditionem ex leui quouis momento e-
rumpentiũ, Cosachorum ad vim luctuosissimi belli
confirmatus, domi natus hostis, Theodatus Chmiel-
nicki, post recessum copiarum nostrarum in Patriæ
gremium, ne post sua vestigia, quæ eadibus innocen-
tium, Templorum expilationibus, Ciuitatum, Oppi-
dorum deuastrationibus, manifesta tritaq; suo scelere
relinquebat, hostem haberet: viam sibi Tartaro-
rum, quos perfidè ad societatem armorum & per-
duellionis adsciuit, suorumq; sociorum excursionibus
ad viscera Regni aperiebat. Terminos audaciæ, vt
famã increbuerat, ripas Vistulæ proposuerat, etiam
has transgressurus, si prosperam belli, latrocinij po-
tius, aleam consilia sua experirentur. Gliscebatur in
nostris oris indies periculum, & aduentus hostis pro-
pediem metuebat ut, eoq; magis, quò ipsos Duces,
A Nobiles,

Nobiles, aliosq; homines vltra Zamoscium formido propelleret, cogeretq; sibi rebusq; suis reliquis consulere. Tanta animorum percussio fuit, vt nullus satis munitus locus posset inueniri, quo fugientium vita contineretur, nisi sola loci longinquitas & distantia. Hæc demùm multos animabat, & vitæ consultrix optima erat. Spe futurorum meliori, Principem LEREMIAM Wisniouieciũ aduentantẽ Zamosciũ excepimus, vt cuius, (cũ interim Dux Exercituum designaretur) præsidii & autoritate hosti resistere, nisi aliter pro fortuna regni Supremus mundi Rector Deus ageret, posse confidebamus. Agebat ille pro suo animo ad rem militarem & summa quæq; nato resistendiq; scientiã clarissimo, ne vicinia in hostis prædam irer, ne securi indormiremus, vt de hoste aliqua semper sciremus. Expugnationi Vchaniensi præsidium designauit: celeritas præsidiario defuit militi, qui iam expugnatam Ciuitatem subiuit; reliquis Cosachorum paruis dissipatis cùm vulneratis aliquot sociis rediit.

Iterũ ad reprimendum Scytharum impetum suæ Aulæ milites misit: præceps militum animus obfuit, vt victores redirent. Ita nostris cadebat de manibus victoria, puto quòd stipendia ad præsumptionem militiæ agerentur. Zamoscij verò Gubernatores cum Ciuibus & vniuersa plebe,

Diuino Numine freti, defendendæ vitæ suæ in tanto loci beneficio, se conscripserunt, Signa sua produxerunt, arma exhiberunt, exercitium adhibuerunt, comæatui studuerunt, pedites vltro susceperunt alendos, quos & Curiales & Mercenarios habebant, cauerunt edicto, ne rem frumentariam perderemus, luxu consumeremus alimoniam: ac demùm proclamârunt, de aduenis & profugis, (quorum ingens erat numerus, & quorum alij accrescendo manebant, alij non manendo longiùs pergentes victualia exhauriebant,) discederet quicunq; suæ suorumq; sustentationi & defensioni Ciuitatis, siue voluntate, siue viribus non sufficeret. Nobilitas Palatinatûs Belzensis ad defensionem sui in eo loco pariter conspirauit, vnaq; cum Gubernatoribus Ciuitatis tuendi se se, pactis & fædere inito, se conscripsit, leges Militares ordinauit; regimen ad vnum summo animo & consilio & religione ac pietate erga Patriam Virum Stanislau Sarbiewski Capitaneum Graboueccensem, & Korytnicensem detulit. Interim Varfauia Wisniouicius auocatur. Custodiam loci integerrimo & rei militaris peritissimo Ludouico Veychero Castellano Heblonensi, & Vladislao Myszkowski Marchioni demandat, Nobiles Curiaeq; Præfectos ad animos & diligentia precatur, Veyherouianis, quorû quingenti supra mille erant, ingressû in Ciuitatem designat, ipse cum certa cohorte ad Electionis Regiæ Comitibus pro-

fectus. Agebant hyberna reliquæ militum nostrorū cohortes in pagis Zamoscio cohærentibus, & Vicinis Ciuitatibus: multi in Suburbiiis viuebant. Atq; vt præscriptæ ordinationi quisq; pareret, inobediensq; facilius appareret, iisdemq; decretis articulis omnes æqualiter obligarentur: Typis expressa ad valuas Ecclesiæ, Arcis, Prætorij appendebatur eorum, penes quos summa rerum erat, voluntas. Suis ita intra mænia rebus nostri constitutis, de hostis consiliis & impetibus retundendis, suâq; illi custodiâ manifestandâ cogitare cæperunt. Accepit conditionem & munus explorandi Sarbiewski, ac trecentis ferè comitatus Viris, de hoste habendo sollicitus, iter Diuino fultus auxilio fecit, in expeditione sua excubias egit, in viis & viarum aditibus cautè processit, à rusticis, qui manebant in pagis, famam hostis poposcit, ipsis vbiq; vno sensu & dissimulatione abnegantibus, & mendacio hostem celantibus, vltra Sokaliam in turmam hostium incidit, prælium iniuit, ad fugam adegit, persecutus fugientem per vias ferè centum fustis, cepit vndecim, inter quos erat & Ruforum Sacerdos. Deduxit Zamoscium omnes, torturis primò dati, aliquot post diebus capite plexi cum aliis, qui erant in custodia vt deprædatores asseruati, seruatus Popus cum duobus aliis rusticis. Et Alexander Romanowski Subiudex Beżensis Eques emeritus cum aliis, quos sibi animus fortis adiunxerat Viris,

ad vias

ad vias, in quibus hostis grafsabatur, excursionem fecit: rediit cum spoliis & captiuis aliquot incolumis ipse, & suis integris. Sed iam hostis validior & numerosior inceserat, qui nihil intentatum, nihil inausum, Russis sibi per omnia, præsertim rusticis villarum, plebeiisq; ciuitatum, & oppidorum incolis, (paucis ad modum exceptis fidem Deo in vnione Ecclesiæ Romanæ, & patriæ salute suâ æstimantibus) perfidè fauentibus, applaudentibus occurssione, com meatûs apparatu, imò bellum molientibus, & vitiosissimo animo ad triste Religionis Orthodoxæ & Nobilitatis atq; generis Lechici (Lachos enim corruptâ barbarè literâ fraudi doloq; non campo aperto nati, nos non Polonos, communiter vocant) exitium suffragantibus, relinquebat exceptâ Leopoli, quam cum tentati sceleris ausu nimis afflississet, multam eadem citum Urbem, præsertim monasterio Calui Montis expugnato, fecisset: amplioris & diuturnioris tedemptæ calamitatis pretio accepto Zamoscium ad oppugnandum destinauit. Mouit castra: legiones præmisit: sternerantur illi viæ more hostili. Fugâ, terrore, cædeq; Polonorum deferebantur loca. Et quæ vallo fossisq; ex arte factis confidebant arces ciuitatum, suisq; Ciuës Poloni ciuitatibus, luctantes cum furore Barbarorum, partim hostium validissimis impressionibus, partim suis debilitatæ & confectæ viribus, eneruatæ perpetuis vigiliarum noctibus die-

busq; sub gladio crudelissimè ceciderunt, vim furoris non sustinuerunt. Prædæ enim & sanguinis cupidi rebelles, non priùs conatus deponebant suos, quàm crudelitati suæ inclusi exponerentur. Cadebant & ipsi, sed plures alacriùs in locum cadentium succedebant; quia vna perfidiæ mens omnibus, vel si omnes perderet, se etiam in vno extremo non sineret, nec faceret amissam, illi victoriam relictam cuperet. Ita qui suæ salutis immemor est, tuæ est Dominus.

† Igitur quodcunq; & quantumcunq; Leopoli Zamoscium est iter, totum erat peruium Cosachis & Tartaris. Magierouia, Raua, Florianouia, Lipschia, Narolia, (in qua occubuit suus Dominus Vir dexterimus Georgius Laszcz, cum Sacerdote Parocho suo) Huwnouia igne ferroq; cum suis arcibus deuastatæ. Sokalia (non tamen Monasterium Religiosorum S: Francisci de Observantia, quos vulgò Bernardinos dicimus, in insula fluuij Bug, cum magnificentissimo Templo, veneratione miraculosæ Imaginis B. V. M. nobili, & piorum hominum, qui & religionis & voti exsoluendi causâ locum frequentant, impensis exornato) à Polonis suis incolis deserta, ipsis Russis manentibus, imò obuiis hosti, vt rebellibus, (qui paucis ante temporibus authores proditionis animaduersione militum nostrorum ad castra tendentium amiserant) & Thomaszouia, quæ est Ciuitas domini Zamoscensis. Duæ hæ Ciuitates patuerunt Cosachis, in quibus

in quibus nostra templa violatā per audaciam & auaritiam hostium, quærebantur deposita rerum, tūm Sacrarum, tūm profanarum, tota area in templis ligonibus effossa hiabat, sepulchra aperta horrorem faciebant, cadauera suis dimota locis immanitatem arguebant hostilem, atq; penitūs nouo scelere conflata. Hæc dūm improbissimè fiunt, nostri excurrunt, vias explorant, imminent alicui capiendū ad expiscandum de rerum & periculi certitudine, ac passim grafsante hoste suspicionem mali concipiunt. Quare ne quid intempestiuè actū quererentur, præuenerunt hostis aduentum ignibus, quibus amplissima & prædiis ædificiisq; ornatissima suburbia mænibus obiecta succendebant, incommodo id hominū tenuiorum, sed defensionis opportunitate & necessitate. Proditio non timebatur, quia suspecti ex Rusis custodia tenebantur, alij spontè exulabant, scelus & dolus hostium proponebatur. Interea Superis annuentibus ad ciuitatem ducebatur à nostris exploratoribus captiuus Centurio Czoehrinensis homo proceri corporis, sermone audax: nam inter manus ducentium procaciter loquebatur. Hic quæstionibus non plura se nunciaturum; quàm libertate linguæ, profitebatur. Chmielnicki in craftino Thomaszouiam venturum, plurimas iam venisse legiones, Suburbiorum solitudinem flammis factam vtilem fore defensionī Ciuitatis, & multa alia proferebat. Euentus dicta probauit.

Tho-

Thomaszouiam à qua Zamoscium quatuor mi-
liaribus distat, Dux seditiosorū Chmielnicki, quin-
tâ Nouembris ingressus, latè se suis copiis distende-
bat. Pagivastabantur, licentiâ hostium omnia affli-
gebantur, templum è lateribus & cemento nunc pri-
mùm excitatum in villa Labunie, vno miliari Zamo-
scium contingente, audaciâ & cæde eorum, qui se su-
pra fornix ipsius occultarânt hominum Polono-
rum, implebatur. Posterâ die exoptandæ sibi amici-
tiæ cum Zamoscio ineundæ testera egit Chmielni-
cki, cum literas ad nostros officii & securitatis obli-
des scripsit. Delatore earum vsus Veyhero:
uiano milite, qui ad villam Wieprzowoieziuro di-
ctam, inter Zamoscium & Thomaszouiam sitam, ab
obuiis ex inopinato Cosachis & Tartaris, commea-
tûs quærendi viarumq; periculum experiendi gratiâ,
Zamoscio egressus cum ducentis quinquaginta tum
suis, tum nostris equitibus, in pugna cum hoste con-
ferta captus fuerat: sed eius ferè vestigiis Chmiel-
nicki, ad oppugnationem Zamoscij cum suis profligatis
Signis statim eodem die processit, ac ante Occa-
sum solis extra suburbia, à parte Orientali castra me-
tatus est. Accessit igitur ad Ciuitatem suo sensu au-
ream, eo enim nomine apud suū exercitum & Scy-
tharum phalanges ipsam appellauit. Spe puto ingentis
prædæ, & ingentium spoliolorum, quòd speraret suo
furori cessuram, quâ aut voto potiundæ ad sedem belli
& com-

& commoditatem amplius regno ciuibusq; nocendi, aut pulchritudine eius apud se sibi & suis lenocinabatur. Existimo tamen vel maximè auream illum dixisse Ciuitatem eo consilio, vt rabie furiosæ plebis & Barbarorum ferocitatem in nostram & Ciuitatis accensâ perniciem, in nobis quantum crudelitate & auaritiâ valeret, probaret, nostrasq; vires ex periretur. Probabatur istius auri possessio ardua flammis ardentissimis & consertissimis, quæ inter nos & hostem intercesserant. Fumus tantorum incendiolorum, & prunæ flammaram nihil nobis intramænia manentib⁹, ne in mænibus quidem excubantib⁹ nocebant, quòd DEus ventum daret flantem aduersum hosti, à nobis omnia nocendi incommoda reflantem. Angustabantur Ciues suburbani rem suam familiarem, copias, facultates, quantum percussis metu hostium & aperto periculo licebat (sed nihil ferè aut admodum paululum licebat, non solum præsentis tempestatis conspectu, sed etiam ignis sæuitiâ) per summam contentionem exportabant, & ex flammis ipsis vindicabant. Alia sua bona sub ipsis mænibus deponebant, alia cum poterant, (quòd quisq; certaret ac penè dimicaret, ægrè ac cautè custodiâ, ad quam Aulici aliquot Nobiles, cum centum peditibus militibus Zamoscannis adhibiti, intromittente) per ianuam quæ vna tantum eaq; subterranea propugnaculi versùs septentrionem, importabant in Ciuitatem, plurimi per

mænia supellectilem, victuiq; necessaria & salutem propriam funibus attrahi laborabant. Aëris intemperies summa fuit, procella cum vento premebat laborantes. Paruulorum fletus, argentium & tremantium præ angore & cæli rigore in viarum spatiis, in plateis, inter columnas lapidearum, in angulorû, murorum, vallorum, templorum, domorum, totiusq; Ciuitatis, contēptim & afflictè repertis receptaculis, eiulatus aures perstringebat. Plurimi miserorum & tenuiorum intra mænia demigrabant, multi sub ipsis mænibus, curribus & supellectili domesticâ se vallantes degebant.

Classicum datum nostris, quisq; suam in muris & propugnaculis caperet teneretq; stationem: excubiæ nocturnæ signis & tubis designatæ, quas sedulo agebant nostri, licet nihil aduersi flammâ interiectâ poterat sperari. Portæ agglomeratâ humo consolidatæ machinisq; obfirmatæ omnem aditum ad Ciuitatem præcluserunt, quarum vna ad Orientem, altera ad Meridiem sita. Domestica in singulis custodia constituta fuit: ad vtramq; centum pedites ex pagis ditionis Zamoscensis, quibus præficiebatur Gaspar Bergerman, lecti, in duas æquales partes dispertiti, adhibitis sibi è familia Illustrissimi Domini Hæredis, Capitanei Kasussiensis, peruigilabant.

In propugnaculis Murosum eâ serie stationes excubiarum dispositæ fuerunt.

Primum à porta Meridionali propugnaculum, quod ad Occidentem ducit, amplum satis & latum in se, dispersitum fuit, ac vtriq; parti sua designata custodia. Vnam partem tenuerunt pedites Vngarici centum viginti, Principis Wisniouiecij stipendiarij, quibus præfuit Polonus Eques, vir fortis, Rudowski.

Alteram partem occupârunt pedites ex Germanis conscripti, qui Aulæ Zamoscanæ erant, præfecto Procopio Szornel: ibidem centum Teutonici equites Weyherouiani, quos vulgò Raytaros dicimus, Siawkocz Præfecto se se apposuerunt.

Alterum propugnaculum è regione Palatij Zamoscensis, ab Occidente ad Septentrionem in palustri loco situm, versùs pomarium & hortû Curialem, ducentis quinquaginta peditibus Weyherouianis, quos Maior & Wiewierski rexerant, implebatur.

Tertium propugnaculum ad Septentrionalem plagam extensum versùs Academiam, Weyherouianis peditibus ducentis & quinquaginta, Magistro Gaulewz, commissum.

Quarti propugnaculi, cuius pars ad Septentrionem, pars ad Orientem declinabat, custodia ex Weyherouianis peditibus ducentis, & equitibus Germanicis ultra quinquaginta, Tribuno Tidman, constabat.

Ad quintum propugnaculum è regione templi Armenorum, quod totum respicit ipsum Orientem,

Nobilitas Beizensis & aliorum Districtuum, cuius numerus quatuor millia excedebat, suas extenderat papiliones, in speciem castrorum, ornatissimum & firmissimum hoc propugnaculum, & ipsum perfectæ operæ. Ad eius extremam partem, quæ angularis ad pontem ciuitatis est, quinquaginta ciues Zamoscenses, Iacobo Haz Tribuno, collocauerant.

In sexto propugnaculo, quod continuat Orientis, & incipit meridiei partem, è regione templi Græcorum, quâ impetus hostium maximè sperabatur ob imperfectam, & non satis eminentem operam murorum, ac ob defluxum aquarum stagnantium, Ciues Zamoscenses nationis Polonæ, Armenæ, Scoticæ, Germanicæ, qui supra mille, erant, excubias agebant. Parti eorum Iacobus Berny; Parti Nicolaus Hadziciowicz, Præsides designati. Ductus ab hoc propugnaculo perpendiculariter murus, usq; ad septimū propugnaculū, ad maius præsidium munitiois, quæ nondum edita eminebat, septuaginta equites Germanicos cum præfecto suo Gregorio Bar complexus, & iuxtà quinquaginta pedites Polonicos habuit, qui omnes Zamoscani erant.

Septimi eiusq; vltimi, quod meridionali plagæ obiectum erat, propugnaculi securitati Academici Zamoscenses, cum sua studiosa iuuentute, & centum peditibus Zamoscanis prospiciebant: his præfuit Kowalski, illis designatus ex Academia.

Hi ita

Hi ita constituti erant, vt suis nemo discederet in hostis insultu & impetu locis, omnes accuratè gerentes propugnaculi custodiam sui.

Ad necessitatem succurrendi debili ac succumbenti hostilis impressioni parti excubiatorum, ante ipsam Arcem in area patentissima semper Nobilium Beizensium, Cheshmensium, Volynensium, & centum peditum, quibus Martinus Komorowski præfuit, paratum & expeditum fuit studium, quibus obequitantes Gubernatores Militiæ & Ciuitatis de periculo nunciare debebant. Cætera plebs variè confluens in murorum tractibus, ad messorias falces, quæ supra mænia numerosissimè eminebant, & machinas euoluendas, quibus ascensus scalarum hostilium impeditur, studiosè assistebat.

Nostri itaq; in eum ordinem redacti, & ad vitæ defensionem loco & suaptè voluntate animati, arcendo hosti incumbebant. Cosachi verò ex ipsa densitate fumorum locorumq; ardore insidiosè erumpabant, homines inuadendo, qui sua è flammaram medio exportabant, ligna focis congerebant, vtili otio vacabant: sed ab excubatoribus murorum & propugnaculorum impetebantur, passimq; cadebant. Occursabant & nocturnè circa mænia, iisq; inhiabant, qui mænibus foris adhærebant: vigilum tamen iaculis arcebantur. Sic illa nox tota in excubiis transacta: dies autem postquam illuxit postera, multitudo

ingens hostium à Septentrione ad Orientalē partem
defluebat, & hinc indè obequitantium turmæ sclopet-
istormentisq; de muris commiscebantur. Sterne-
bantur multi præsertim in tranationibus aquarum.
Agebantur ab hoste pecudes, armenta, equi, quos ad
partem Orientalem in hortum amplissimum & va-
rietate florum arborumq; amænissimū, sed ad hostis
aduentum consultò à nostris succisum, ne latibula
præberet, nostri abegerant. Vindicari non poterant
ob magnam vim hostium, miserationem sui facie-
bant ob equarum (præsertim Zamoscensis gregis, in
quo hinnuli magnam spem, & vsus & ornamenti ad
equitatum de se conceptam momento eripiebant,
nec pretio redimi villo modo, quòd gratiam sui apud
hostem haberent, poterant) generosos fetus edentiū.
Dimittebantur cohortes hostium vastatum vicina
loca, & ad ciuitatum pagorumq; vexationem turma-
tim procedebant. Etiam sibi stationes in villis pro-
ximis circum ciuitatem ad viarum aditus præcluden-
dos instituebant. Aquam stagnantem, quæ multo
spatio diffluit, & celebre efficit piscibusq; abundans
in vado arenoso stagnū, aggeris extremum fossā factā
demiserunt, vt aquæ defluentes aridum præberent a-
ditum ad mænia à parte Meridionali. Sed cū nec
indè adeò periculum, exsiccatis etiam locis, timere-
tur: excursionem armatā manu fecerunt nostri, vt
alteram propiorem nobis fossam aperirent, quæ pro-
xima

xima manibus partem Orientalem respicientibus, & molendino ibidem recens ædificato, loca aquis compleret, propugnaculoq; in palude sito munitionem afferret amplioem. Ita nec ab hoste demissæ aquæ illi profuerunt, nec à nobis excluso aggere coacta vis aquarum quicquam arcendo hosti nocuit, sed plurimum attulit commodi. Sublitium enim pontem, qui in suburbium Ianowice publicâ viâ ducebat, altè alluebant aquæ, & in plana loca ascendentes cursum hostium retardabant, in aquarû tranationibus commodè tormentis prosternebantur. Literæ à nostris optimo consilio & summo animo contextæ, hosti respondentes per tibicinem ad Chmielnicki mittebantur. Nec enim redire ad hostem Weyherouianus miles audebat, quòd semel improbæ gentis manus elapsus, ne sibi obsequiû supplicio rependeretur, vereretur. Ex propugnaculis tamen tormenta adversus hostem explosa dirigebantur, quibus partim turmatim obequitantem, partim stativa & sepimenta militaria fossaq; castrenses sibi molientem disficiendo & interrumpendo impedimenta nocumentaq; darentur.

Rescripsit nostris Chmielnicki alterâ iam suâ epistolâ, quâ ad pacem exemplo expugnatorum oppidorum, occisorum & captiuorum apud se Nobilium inuitabat. Visum fuit nostris ex re, dare verba, sed animi, non vllius defectionis. Nec destitit sollicitare hostis,

re hostis, atq; cùm concionem (paulùm remoto nostro tibicine) faceret, ac de sensu literarum & processu rei vltioris more castrensi consultaret: factum est, vt nostri ad locum castrorum hostilium tormentù exonerarent, quod fatale fuit ipsi Duci nos obsidentium. // Nam tantùm abfuit, vt globus eum contingeret. Quem sæpè transit casus, aliquando inuenit. Exemplò concio dissipata & conturbata nostro hæc spectanti tabellario desperationem propriæ intulit salutis, ne in se lacefsiti hostes delæuirent animis. Ad fossam quam à conspectu ciuitatis fieri fecit, cum socio consiliorum se Chmielnicki recepit, in eaq; literas scripsit. Processit vltra, Deo ictum differente felicem, tormentarius globus strage hostium, qui longiùs ad syluam pineam spatiabantur, proficiens. Nec iam confidere loco huic voluit Chmielnicki: ad villam Labunie dictam suæ consulens saluti, legionibus in eodem loco campestri relictis, commigravit. In quâ toto obsidionis tempore mansit, superueniens cum imperio ad castra, & aliquando fallens præsentia suâ.

Ecclesia S. Catherinæ pro sepultura suburbano-
rum hominum deuotionemq; remotiorum à ciuitate
ciuium, Illustrissimæ olim piæ memoriæ Cathari-
næ in Ostrog Zamoscia Regni Cancellariæ Thomæ
Cancellarij Zamoscij Viri eruditissimi iuxta ac orna-
tissimi Coniugis iussu, decorè in loco eminenti arte
fabrili

fabrilis cæsis selectioribus lignis erecta, præterito deinceps anno pro Festo Diuæ, cuius titulo diuino cessit honori, perfecta, frequentiq; populo celebrata, in suburbio Ianowice sita, cum domo ad commoditatem Sacerdotis ornatè extructa, & cum aliquot amplis ciuium ædificiis, tam iuxtà se, quàm è regione sui, nondùm communi incendio conflagrauerat. Cùm verò in illam, domosq; illas adhuc integras, Cosachorum lues passim conflueret, stabularetur, licentiã opportunè sibi faceret, copiã manendi relictam haberet, campanam paruam, quæ supra Templum in medio eminebat, pulsaret, multa leuitatis indicia faceret, ac demùm tabulata, quæ fenestras altitudine æquarent, comportatione grandium lignorum & humi agglomeratione operaretur, ignes coquendis cibis importaret, in ipsiq; domibus focos faceret, rusticaretur, iucundaretur, spatiaretur, & liberè procederet: metus erat nostris, ne ad oppugnandam ciuitatem tantam commoditatem hostes nacti, murorum defensionem nocerent. Quare assumptis animis fortiter factâ pedestri, ducibus aliquot equitibus, eruptione, ignem & Templo & tectis vicinioribus celeriter subiecerunt, Cosachos ad fugam adegerunt, occisis multis vnum, qui potior visus erat, expiscandi gratiã, quid de hoste scire expediret, ceperunt, cum

C

spoliis

spoliis, quæ reliquerat hostis, redierunt ad ianuam
ciuitatis. Hæc agebantur à parte Septemtrionali. A
parte autem Orientali Præfecti peditum Principis
Wisniouiecij, coniux in suburbio remanserat, iamq;
in manus hostium venerat: quam suus maritus pro
fide coniugali, ardenti animo, adhibitis sibi sociis
promptioribus, rusticisq; falces messorias pro armis
habentibus, qui ad mænia receptaculum suum ha-
buerunt, excurrentibus animatus, vindicauit, occi-
dit non paucos, & in fugam adegit, manifesto se peri-
culo obiecit, pietatis argumento sibi suffragante cum
spoliis incolumis, & sui adiutores redierunt. Quo
felici & questuoso euentu vires nostris accreuerunt
rusticis, ac ideò sapiùs tentârunt fortunam suis eru-
ptionibus, nec inani operâ laboratum, nam ad mæ-
nia hostis accedere non audebat, quòd globis ignitis
à nostris, vndiquaq; excubantibus, peteretur, quo a-
nimosiores extra mænia in eorum angulis & anfra-
ctibus sua salutemq; suam deponentes homines fie-
bant. Ad noctem iste lusus Martis durauit, quam
insomnem nostri duxerunt, prout quisq; habebat
suam stationem, ipsi autem rustici pro se & signo ir-
ruptionis hostilis dando, vt condixerant, vigilabant.
Nihil tamen attentauit hostis, pacati noctem egi-
mus. Postridè armaturam apparatusq; bellicum
sibi adductum excepit Chmielnicki. Atq; cum iam
cessatum

cessatū esset à familiari per epistolas colloquio, quòd
deditioem & expediendæ Obsidionis pretium no-
stri nullo exhiberent argumento: contra ciuitatem
constitui tormenta imperauit. Quibus à tempore
diei istius, qui erat Dominicus, Meridiano obsessos
petere incepit. Globi tam solidi, quàm ignem ad exu-
renda tecta continentes per àèrem ferebantur, quo-
rum alij intra mænia, quatiebant parietes, alij extra
ciuitatem euolabant. Duo Palatij muros attigerunt:
vnus Ecclesiæ Collegiatæ S. Thomæ Apostoli angu-
lum: turris ciuilis apicem vnus: Ecclesiæ nouæ Re-
ligiosorum S. Francisci Fratrum Minorum (quibus
in suburbio, ad Orientem vetus ligneū Monasterium
cum antiquissimo & nobilissimo S. Crucis Templo,
commune incendium sustulit, prædium extra su-
burbia latifundiis, pomariis, apiario, piscinis, grana-
riis, ædificiisq; nobile hostis ipse vastauit) quæ ad-
huc in opere est, augusta & sumptuosa, (de cuius spe-
cula bombardæ gestatoriæ maiores minoresq; hosti
grassanti nocebant) frontispicium & sacelli dextri
fornicem eminenter editum duo: lapideas ciuium
ferè decem. Omnes pænè isti globi sunt reperti,
à murorum robore resilientes, sine damno, indicia
duntaxat sui impulsûs, reliquerunt, vno homine au-
rigâ, ex assultu à pariete, per viscera traiecto ante lapi-
deam Iacobi Berny Ciuis & Mercatoris insignis, è cu-
ius erat

ius erat familia. Cùm ita nos tractasset hostis diurno tempore, nox sperabatur infestior; quare excubandi necessitatem sibi omnes nostri imposuerunt. Et ecce ante auroram audiebantur classica ad ingrediendam aciem in castris hostium excitantia. Hæc dùm illuc audiuntur, apud nos instituendæ deuotionis maximâ campanâ signum continuò datum. Effundebatur nostrorum multitudo, in vota & preces coëuntium. Lectum Sacrum cum expositione Venerabilis Sacramenti, & populi benedictione, Litaniarumq; de Sanctissimo nomine IESV modulatione celebrabatur. Ad mænia tandem, excubantibus intereà aliis, nostri progressi, vigiliâq; suas ad diei ferè horam continuârunt, nullam tamen, vt benè sperabatur, impressionem hostilem exceperunt. Astu factum tubarũ tympanorumq; sonum ad fatigandos & molestiâ premendos obsessos credebamus. Quo indignati nostri, aduersùs hostem audaciam sumebant, ac mediâ luce occasionem nacti, in cateruatim se in suburbio Ianouienſi obijcentes, eruptionem fortem fecerunt ianuâ propugnaculi promptè ad eam viam expediente. Fuderunt aliquot, equos ferè triginta ad mænia adegerunt, sarcinis, quæ pecuniam prædamq; variam continebant, onustos. Ad eam enim partem Septentrionis, Glowacki Polonus, immemor patriæ, petulans & inguini deditus homo, qui
cum

eum pluribus infamibus, & latrocinio deditis, no-
stræ ciuitatis & nominis Poloni consciis sociis, à pie-
tate descuerat, legionem, quæ triginta sex millia Co-
sachorum in se habebat, deducebat, castraq; consti-
tuebat. Frequentes excursiones Diuinâ manu (quam
quotidianâ Venerabilis Eucharistiæ circumlacione per
ambitum murorum & vallorum spe bonâ freti im-
plorabamus) singulariter protegente, sine discrimi-
ne nostrorum, imò sine leuissimo vulnere, nobis de
tanto Dei beneficio gaudentibus hâc die euadebant.
Vnus rusticorum hominum interiit, qui impruden-
ter alteri se ad prædam iunxerat. Tandem ipse
Chmielnicki cum ingenti exercitu eò transmigrat,
aulam prædii Curialis ingreditur. Iuxtà inter Se-
ptemtrionem & Orientem, alia ingens multitudo ho-
stium locum occupauit: reliquæ conferrissimæ co-
piæ ad Orientem confederunt. Sic contra nos à
duabus cæli partibus venit validus & vallauit nos, ex-
truxitq; munitiones, quibus nostri tormentariis glo-
bis aduersabantur. Iam demùm hæc nox aduersa
nobis ex hoste ita se digerente promittebatur.

Factum est. Ordinauit cuneos Chmielnicki ad
expugnationem. A parte Septemtrionali & Orien-
tali ante angulos ciuitatis, clamantes, quasi ad im-
petum magnâ uentium, suos homines submiserat,
in medio autem scilicet inter Septemtrionem &

Orientem, Magnam suorum manum, nec voce, nec animis se prodentium constituit, qui desertam à nostris, ut sperarant, murorum partem, (quasi ad clamorem eorum omnes concurrere deberent vigiles) impeterent & occuparent. Cùm verò sclopetorū suorum ignes inconditis adderent vocibus vtrinque unanimitè, nemine nostrum (qui in toto ciuitatis circulo vigilabant, sui que indicium nullum dabant) ne læso quidem monstrarunt se, & interiectos sibi: in quos subito omnibus tormentis nostris & sclopetis est animaduersum. Non pauci in acie fusi, indicium claudis detractioe cadauerum sub noctem, ne nostris pateret (patuit tamen illucescente die ex relictis, quos antemurales nostri denudabant) celarunt. Hac dum agebantur vndecima hora, in minori horologio, quod medium vulgò dicitur, noctis erat. Silentium tandem secutum, in quo nostri se profundè continentes, excubias agebant: equites, penes quos custodiæ regimen erat, ante Arcis portam diligenter auscultabant. Mercurium superuenisse tum apud nos putares. Ac in tanto, tamque alto silentio, nostraque vigiliâ, quia percussis fugiebat somnus ab oculis: visio ignea in aère, stellato cælo, apparuit, subito exorta. Species erat colubri ingentis, cuius cauda à Pleiadibus, quæ dignoscebantur optimè, à Septemtrionali, in qua pernoctabat Chmielnicki, proiecta,

proiecta, rubra, velut sanguine imbuta: capur si-
militer cruentum respiciebat Signum Gemini ad
plagam Meridionalem. Immotum hoc prodigium
modico interuallo temporis mansit, tandem se mox
à capite ad caudam complicabat, crassiusq; factum,
velut manus à brachio ad palmam, versùs Orientem
conuersum & contractum, sensim in nubes dissipa-
tum est. Rursùs mediâ ferè ab hinc horâ, alterum
spectrum altiori Cælo conspectui nostro se obiecit.
Viperæ similitudinem retulit, in tenuem quasi sagittæ
longitudinem extensum, loco se parùm mouit, ac
tandem à capite tortuosè complicuisse corpus, ac si-
nuosum constrictisse in nexum suspiciebatur, sensim
disparuit, in fumumq; cum non diu durâset, abiit.
Quid portenderet non licuit nobis augurari, ad no-
stram tamen benè retorquebamus, ne animis cade-
remus, partem. Præstigiis & illusionibus (veneficis
& sagis, quas tres secùm detulisse Chmielnicki per-
hibebatur, administrantib⁹ hariolationes & incanta-
tiones) Dæmonum factum putabatur. Animos ta-
men his portentis diminutos hosti, qui id similiter
spectabat & cui venefica nobilis Marusza sinistrè
tùm ominata fuisse dicebatur, agnouerunt nostri
die posterâ, quâ luctantes cum imperio ducis, quòd
primos rusticos aut villanos homines ad murorum
oppugnationem cogeret, veteranos in tergum illis
designa-

designaret, accepimus. Dies vt orta est post prodigia, funestationi est data, incendiis pagorum, aularum, prædiorum, horreorum. Ex quibus primùm commeatus conuehebatur. Noua castra legionis vnus, quam Hladki regebat, vt per gyrum nos circumdarent, [perfectamq; facerent, Obsidionem, posuerunt extra stagnum circa Aulam, Krasno-brzeg dictam, ædificio magnificam, & muro prosepimento circumductam. E regione ciuitatis à parte Meridionali hæc fuit, in pulcherrimo conspectu & amænissimo loco, tum ob planiciem, quâ prominebat augustè, tum ob vicinitatem syluæ, quæ non horreret, sed raperet oculos, teneritudine arborum, & quæ viuarium sepibus latè obductum consultò ad releuandos possessorû animos, varietate ferarum completum, ex se constituabat. Intra ipsa mænia & fossam (cùm in speciem esset munitionis vel castelli) à Meridie versus Occidentem erat hortus, ex arte arboribus herbisq; exoticis confitus. Ipsum ædificium (sustentante muro fornicû ab imo terræ eductarum totam molem à fundamentis) porticibus, cubiculis, trichiniis, medio amplissimè pulcherrimèq; strato & focis elegantissimo atrio, nobile fuit. In duo latera distinctum, cuius alterum ad Orientem, alterum ad Occidentem eminebat, sumptuosè certante artificum manu

in lon-

in longum extendebatur. Tectum admirabili altitudine fuit ob duplicata inferiùs superiùsq; penetrabilia insigniter producta. Stetit impensis Thomæ Zamoscii Cancellarii Regni. Hoc igitur Palatium cum olim summos quosq; Viros ac Proceres ad animi & corporis oblectationem exciperet, institutioniq; puerili Præsenti (quem fata solatio & ornamento Patriæ sub eam Zamoscii, Hæreditatis suæ, calamitatem & turpem desolationem, incolumem, quod vouebamus, ab Exteris Reducem, reddiderunt, utq; seruent diù Sospitem precamur!) Domini designaretur: impurissimis & perditissimis hominib⁹ vi & impunitate patuit. Stabulabantur, hospitabantur, rusticabantur tenebriones in tanto domicilij ornatissimi splendore. Detonabant nostra tormenta etiam ad hos, præsertim in turmas directa, & deiiciebant ad sabulosum stagni vadum. Chmielnicki relicto Głowacki, ad prædium Patrum Franciscanorum sese à parte Septentrionali transtulit, noctem nobis quietam reliquit: quies tamen diffidentia hostis nostris eripiebatur.

Die S. Martini horâ secundâ post meridiem, Mokrzski Canonicus Regularis, qui nuper ad Chmielnicki, cum reliqua summa à Ciuibus Leopoliensibus venerat, qui & de pace illius Urbis egerat, eques ad nos per ianuam ingressus, Gubernatores adiit, conditiones

ditiones pacis à Chmielnicki suadebat, de eâ cum nostris tractavit, reuentibus Gubernatoribus Ciuitatis, qui honestiùs censuerunt ferro, quàm auro cum hoste transigi. Accreuit numerus hostium eadem die, quòd Krzywonos cum suis cohortibus aduenisset, homo audacissimus multarumq; ex scelere & perfidiâ palmarum, ac inter Septemtrionem & Orientem castra metatus est. Sed iam pacis conditiones procurante Chmielnicki reperiens, re cognitâ in eodem perstitit. Rediit Mokrzski ad hostem, nostrorum animos voluntatemq; inclinauit ægrè pacisci volentes in punctis iis, quæ proposuerunt. Nimirùm nostris calamitas captiuorum obuersabatur: quotidiana, quæ passim deferebantur, funera hominum intemperie inediâq; morientium & aliorum deficientium mærorem exprimebant: eorum cadentium multitudo contagionis metum eliciebat: prædiorum, horreorum, ædificiorum, pagorum, oppidorumq; integritas pro se loquebatur: publica demùm fortuna insolitum quoddam consilii & negotii genus, cùm inaudita in regno fierent, postulabat. Mokrzski ergò cùm rediisset ad hostium castra, nostrorumq; inclinatos animos certis conditionibus retulisset: nox quieta subsecuta, nostris tamen stationes suas non deserentibus.

Postridiè mittitur idem ad nos pacis sollicita-

tor:

tor: nostri concepta puncta per suos, quos delegârunt ex Nobilibus Alexandrum Gruszecki & Georgium Morochoowski, qui cum Chmielnicki transigerent. Quibus ille ad terrorem scalas monstrabat, quas mænibus applicandas fieri mandauit. Erant hæ summæ magnitudinis, quarum vnâ vix quinquaginta rustici potuissent supportare. Integræ arbores cædebantur, altitudine ferè viginti cubitorum, latitudine graduum tantâ, quanta tribus simul in vno consistentibus rusticis sufficeret. Monstrorosa res non formidolosa fuit: visu ingens, vsu parua & opere vana.

Tartari & Cosachi, quos prædæ cædisq; animo in vteriores expedierat partes Chmielnicki, citatim reuertebantur, mancipiis, iumentis, latè per campos se extendentes, doluimus ad tantæ rei spectaculum, & ad impunè grassantis hostis petulantiam ingemuimus. Non erat qui resisteret immanitati, audaciæ, sceleri, qui tanta Reipublicæ incommoda pensaret suffragio & præsidio vindicaret non videbatur. Quem si fortuna Regni sub hoc tempus cum aliquot millibus virorum fortium immisisset: tantam hostium circumdantium nos multitudinem facile dissipâset. Quæ sibi confidens non excubitores, non suam apud se vigilantiam, diligentiam, non deniq; sobrietatem habebat: sed campos numero

operiens summâ nutriebatur inertia, & otio dissoluebatur. Quin ad ipsum Chmielnicki, ita facilis aditus fuit, (nostris referentibus, qui cum illo rem pacis agebant) vt ad quemuis liberalem & benignum. Beneficium loci omninò singulare agnoscebamus: hostem & contra nos nihil audere, sed vtrò, nobis non interpellantibus, pacem deprecari, & sibi non prouidere, ne quo aduerso casu deprimeretur. Confidebat tempori nostro, quod triste Serenitatis Occasus, & longum erat imparatis, & audentem cum fortitudine animum ademerat. Et Deus quidem Optimus Maximus pro sua immensa bonitate, calamitatem inter hostes immisit, quæ barbarico victu afflictos morbis conficeret. Ciuitatum tot, villarum, rerum potiti, loca liberorum hominum possidentes: victu ingenuo carebant, sed carnibus non satis coctis, semiaasis sine sale, sine pane vitam infamem suam prorogabant. Sola nisi, credo, rabies fame & lue excitata, eos in nostram oppugnationem extimularet, vt vitam nefandam & turpem cum sanguine nocentissimo commutarent: at hæc quoq; in illis, viribus deficientibus & partim otio, partim communi infectione defluentibus, minor erat. Quia aurea messis, quam in Ciuitate sibi pollicebantur, septa muris, etiam mole ingenti scalarum non addeunda spondebatur. Quæ paucis eorum, qui officium

cium applicandi susciperent profligatis, plurimos casu atterent suo, reliquos terrerent collapsæ.

Chmielnicki igitur inclinatioꝝ ad resiliendum ab oppugnatione, præsertim renitentibus copiis suorum, nostrum autem magnâ parte ad experiendum cum eo magis propendentibus, quàm ad pacis conditiones: obsides suos ad nos misit, nostrosq; vicissim postulavit, qui vtrinq; fidem pactorum vitâ suâ servarent ac retinerent. De nostris Nobilibus missi sunt duo, iidem, qui prius Gruszecki & Morochovski: de hostium medio datus est Mozyra Præfectus legionis, cum tribus Cosachis & Murzak Scytha atq; lanczarzyc. Interea ab armis & tormentis cessatum, nihil vtrinq; hostile personuit. Acquieuit tandem Chmielnicki conditionibus, quas nostri proposuerunt, easq; manu suâ subscriptas misit, summamq; viginti millium florenorum à nostris magnâ mole oblatam recepit, cum ipse ducenta millia aureorum postularet. Sex dies paciscendo consumpti: pax in castris hostium proclamata: ad colloquia cum nostris tantò lubentiùs admisit habenda, quantò ardentius illa expetentes Cosachi, à nobis crematum, tabacum, vinum deposcerent. Duo dolia vini, ut petiit Chmielnicki, missa, cuius erat copia nobis, nec pretium tempore tam difficili mutatum ipsius. Mercatum quoq; liberè Cosachi exercebant,

vestes, argentum, aurum, stannum, æs, telam, boues,
exili pretio satis, vendebant: bouem floreno vno, a-
liquot grossis emisse facile poteramus. Captiuos
quoq; adducebant redimendos, neminem tamen ex
illis insignem genere & dignitate; emebantur mu-
liercula, ephabi, floreno vno, alii homines pro con-
ditione pluris, alii vilius. Fiebant verò hæc com-
mercia nobis inuitis & cautis: vocibus illi, procul
à mænibus consistentes, nam aditu viciniore mæni-
orum prohibebantur serio, pretium rerum, & res no-
stris (armatis tamen & excubantibus vel tum maxi-
mè, ne quid hostis tam perfidi & abiectissimi nomi-
ne, & genere suo, dolus machinaretur) à disitis loco
exhibebantur. Nec libertas ista commerciorum
concedebatur ad totam diem, interdicebatur enim
Sole declinante. Nec omnibus hæc negotiatio lu-
cri fuit, tabe enim hostili, quam ipsa à se tanta ho-
minum multitudo contraxerat, & cadauerum exuuiis
(quæ, malum! insania, impudentia, impietas, animi
sensuumq; cruditas, oculorum feritas! qui vultus!)
morbidis & putrescentibus se infecerat, pleriq; no-
strum contagiosi redibant, nonnulli, maioris com-
modi & quæstus gratiâ, per murum cupiditate sua-
dente demissi, callidâ versutiâ & astu Cosachorum
abducti procul ab oculis excubantium & in abditu
blandè pellecti locum vestibus exuebantur, & miserè
ad nudi-

ad nuditatē penè exspoliati ad mænia reuertebantur.

Stetit vtraquè pars suis punctis: subscriptio Chmielnicki affertur, pecunia recipitur, captiui restituntur. Ac vt ista natio, olim adhuc Cicerone de Græcis, quorū propago Barbaroschismatico Rusi, loquente, nunquā coluit fidē, nec quæ sit istius rei ratio & dignitas nouit: non seruauit hostis religionem pastorum, nam de captiuis sexaginta ferè homines, mulierculas, raros masculos, libertati & saluti restituit: nisi quòd Nobilem Georgium Beszecki cum suis tribus famulis, & Vachmagistrum Germanum nobis redderet. Magnum est quòd vel vnum Ciuem pretio dato redemerimus, cuius vnus vitæ pluris quàm plurimorum hostium cædes æstimanda.

Atq; cùm dies instaret, quo soluere Obsidionem pactis conuentis debebat Chmielnicki, erat autem 19. Nouembr: ecce legatio Regia, quâ Smiarowski fungebatur, superuenit. Aduentanti huic turmatim obuiabant hostes, eumq; ad suum Ducem à via Sitanensi numerosissimi deducebant. Nostri rei nouæ ignari, sibi autem cauentes, nec quicquam de pacis initæ conditionibus præsumentes: tumultu insperato factò (hora fuit prima post meridiem) omnes armati ad suas confluebant stationes. Parati rem expectant, hostem in latè parentibus, ob sublata suburbia, campis vident non ad oppugnationem pergentem

gentem, sed longiùs iter carpentem: Speculatores tandem mittunt quid sit rei: legatos venisse edocti tumultum continuerunt. Accepto itaque Chmielnicki nuncio, Electum feliciter esse in Regem Poloniae IOANNEM CASIMIRVM, pro salute Regis Noui symposiacè bibebat, conuiuabatur pro genio suo, tormentis dies ferè tres gestiebat, tubis tympanisq; occinebat, personabat. Mansit ad vigesimam quartam diem Nouembris Nuncio expedito, eadem die matutino tempore, præmissâ armaturâ suâ cum magna parte sui exercitûs recessit. Omnia per circuitum Zamoscii loca succenssis ædificiis, prædiis, horreis funestabantur: etiam Palatium illud extra Zamoscanum stagnum tantâ mole excitatum, turpi compendio absumebatur. Omnes ciuitates, pagi, castella circa Zamoscium relinquebantur deualtata, suis incolis ornamentisq; destituta: Ecclesiæ sacrilegè & impiè tractatæ, pollutæ, profanatæ, multæ conflagratæ, vt Wielonensis, Lukouiensis, in qua suus Sacerdos occisus; Bilgorayiensis cum Monasterio Patrum Franciscanorum egregiâ arte fabrilis & sculptoriâ ad miraculum, in similitudinem muratæ operæ, extructa, celeberrima Titulo S. Mariæ Magdalenaë, cuius Religiosus Præbiter despectus, opprobriis contumeliosisq; ligone fatiat⁹ innocenter occubuit; Wozucensis cum suo Sacerdote, Dzierzqensis, & multæ

multæ aliæ, quas memorare per dolorem, non libet.
Ita nec Sacra, nec profana hostis istius conspectum
& audaciam effugerant.

Biduo ferè suum ducem reliquiæ copiarum,
quarum Mozyra, duo germani fratres Kapusta, Hie-
ra, Wolk, & alia portenta hominum brutorumq;
commenta, ductores erant, sequebantur, ac in subur-
biis nostris aliqui se detinebant: nostri igitur, vt se
integrè tantâ tamq; infami hominum lue expedi-
rent, securitatis & libertatis copiam haberent, for-
titer ad eos erumpebant, & de muris sedulò ac in-
dignanter in illis periculum continuabant.

Ipsa in suo scelere peribat, camposq; suis cada-
ueribus obsitos nobis in monumentum sui infame
deserebat lenonû turpissimorumq; hominû impro-
bitas. Quæ insectorû, locustarû (quas magnâ strage
frugum tantâ calamitatem præuenientes recepim⁹)
ac penitùs viperarum, Patriæ viscera corrodingo,
naturam factis adæquaret: portento simillimum in-
tulit spectaculum. Ac vt ingressus tanti mali cru-
entus erat: ita extremum (Cælo prædicente) dementi-
æ istius & perfidiæ in authorum suorum pernicie
suspiciebatur. Nam qui diuina humanaq; scelere
suo superant, seipsum demùm (ne quid reliquum sit,
quod non vicerint) vincant est necesse.

Vigesimâ tandem septimâ die Nouembris Ci-

Euitas

uitas aperta, ac pro fidelibus in Obsidione defunctis deuotio instituta frequenti populo agebatur. Posterâ die Gratiarum actio Deo Diuisq; Regni & Zamoscii Tutellaribus pro condigno persoluta. Cælesti enim manu protecti tantam negotii funestissimi molem sustinuimus integri, & ad quorum exitum ferrum hostile non peruenit. Duo duntaxat homines, iiquè incautè de muris obtutu suspenso ad hostem prospicientes (Iudæus & Mechanicæ artis adolescens) sclopeto, in tanta excubiæ frequen- tia & assiduitate interfecti occubuerunt. Paludatis & armatis venire in Ecclesiam libuit nostris, tormentorumq; pilas in triumphum & lætitiæ ignibus excitare. Legem præscripsisse sibi Lacedæmonios constat, vt omnes Dij Deaq; colerentur armati, & id miro artificio, ad molliciem de Ciuitate abigendam, militarem disciplinam excolendam. Togatos nimiumquè in pace securos viderunt nos tempora, nec quæ belli essent in summa opportunitate cogitabamus, mollicies in cultum eumquè affectatum adhibita, disciplina militaris in exilium damnata, durum asperumquè armis hostem, per summum vitæ ipsius contemptum ferriquè immanitatem de extremis Regni partibus ad gremium vsq; euocauit. Iam credo Antigono dicenti, Summa bona magnis malis non carere, & Herodoto, Magnas res etiam magnis cum periculis velle percipi.

Sed vt Darius, in bellis & in rebus periculosis fieri se prudentiorem testatus: ita nobis liceat sapere, & felicitatis publicæ comparandæ ornamenta præsidiaq; capere. Non is erat hostis, quem nostra virtus roburq; metuere deberet: sed cuius metu, virtutis & roboris facta sunt dispendia. Obsedit Zamoscium, non cõegit de victoria dimicare. Popedio Siloni factum simile contemplos, qui cùm Caium Marium, in bello Ciuili, fossâ cinctum obsideret: obfesso sese continenti, & tempus expectanti opportunum (iam enim loci commoditate fruebatur) Si magnuses, dixit, Imperator, ô Mari, descende in conflictû: Imò tu, inquebat Marius, si magnuses Imperator, coge me nolentem ad certamen venire. Exiuimus nos ad hostem cum pignore, sed tanquam cum ossa cani porrigenda, quam Stephanus Bathori sui temporis hosti, olim quæsit^o censuerat præbendâ.

Quare tanto malo superato, Romana Fortuna ex Plutarchi pictura Patriæ nostræ est optanda, quæ postquàm innatâ suâ leuitate, per Orbis partes vniuersas deerrâset; nunc has, nunc illas attollens, deprimensq; nationes: Romã se tandem recipiens Alas, Rotam, Globumq; abiecit in Tyberim, atq; in media Vrbe Roma confedit, vt æternum aliquod decus Romanis rebus polliceretur. In Vistulam Polona Felicitas suæ inconstantia insignia abiiciat, ac in Metropolis

tropolis Ampliſſimæ Urbis Cracouiæ foro ſedem
ſibi fixam ſtabilemquè conſtituat, quâ vniuerſæ Rei-
pub: eiufq; omnibus partibus optatam firmamquè
deſpondeat, auſpicetur Pacem! victoriam Auream,
vt ab Hierone olim Romanis veteribus, à Numine
Cæleſti ominis cauſâ accipiens, reddat Nouo

Principi cum voto, vt magnitudinem

populi Poloni admirabiliorē pro-
pè aduerſis rebus, quàm ſe-
cundis Orbis intel-
ligat!

